

14.

Idem.

Matth. 26.

Matth. 27.

15. In virtute ac sanctitate persellendum

Genes. 5.

Cajetan.

Matth. 27.

Bernard.

Psal. 87. Matth. 16.

Isai. 9.

cap. 21. *Matth. quest. 43.* & citat D. Augustinus. Probatur, quia hic vendentibus columbas dixit Christus *Auferte ista hinc.* Illic vero *catbedras vendentium columbas evertit*, hic ait: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*; illic verò ait: *Vos fecistis illam speluncam latronum*, hic percussit flagello; non verò illic: sed ramis palmarum abigebat eos, ut vult Abulensis, sed de hoc ad locum *Matth. 21.* hic quaesierunt signum à Christo, quod signum ostendit nobis, quare hoc facis? Et dixit eis: *Solvite templum hoc*, &c. illic verò nullum signum petiere. Et idè prima hæc ejectione extitit valde celebris; de ea tempore passionis recordati sunt Judæi, quando Christum accusarunt, *Mart. 26. n. 6. Audivimus hunc dicentem; Possum destruere templum Dei.* Et quando Christus in cruce pendeat. *Vab qui destruis templum Dei*, &c. *Matth. 27. num. 40.*

Magnum hic nobis Dominus præbet documentum, ut persistamus in bono, & virtutem ac sanctum documentum, quod in vitæ exordio sumus amplexi, in fine non omitramus. *Ambulavit Enoch cum Deo*, Genes. 5. n. 22. & idem reperitur n. 24. *Ambulavitque cum Deo*, & non apparuit. Cur bis idem dicitur? nonne sufficiebat semel dicere: *Ambulavit cum Deo*: Ad quid iteratur locutio? ut fiat manifesta in virtute perseverantia, quam habuit Enoch ab incunabulis usque ad extremum vitæ. Cajetan. *Ad explicandum*, ait, quod ab inenite aetate profecit in via Dei, & perseveravit proficiendo in ea semper. Cum Christus Dominus Cruci esset affixus, clamant Judæi, & dicunt: *Si rex Israël est, descendat nunc de Cruce*, & credimus ei. *Matth. 27. n. 42.* Valde mirum, quod cum Dominus maxime quæreret credulitatem generis humani, quæ ei pollicetur, non descendit: si enim ut fidem inveniret, crucem ascendit; cur quando ipsa fides ei offertur, non descendit? Varias hujus rei rationes dat D. Bernardus sermone 1. in die Paschæ. *Non descendit Dominus, ne daret occasionem surripienda nobis perseverantia, quæ sola coronatur: & ne faceret obmutescere predicatorum linguas consolantium pusillanimes, & dicentium singulis: Tu locum tuum ne deserat. Quod sine dubio sequeretur, si respondere possent: quia Christus suum deseruit.* Christus Dominus crucem laborum ab infantia sua amplexus, in laboribus à juventute mea. *Psal. 87. num. 16.* Et ita dicebat Dominus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, *Matth. 16. num. 14.* *Isai. 9. num. 6.* *Parvulus datus est nobis, factus est principatus super humerum ejus.* Rarus est Pater, qui per principatum crucem non intelligat quæ à pueritia facta est super humerum Christi. Crucem ergo, quam ab exordio nativitatis suæ sibi elegit, atque assumpsit, in fine vitæ noluit deferere, sed in ea permanere.

QUESTIO IV.

Quare Evangelista tantam facit mentionem de ove, bove & columba, cum alia venderentur in templo.

16.

Quinque erant animalium species ad sacrificia pertinentium; tres ex animalibus

quadrupedibus, seu terrestribus, ut bos, ovis, capra; & duæ species, ex avibus, seu volatilibus, id est, columbæ, & turtures, ut patet *Levit. 2. & 3.* Et omnia hæc animalia vendebantur in templo: tamen Evangelista de tribus mentionem facit, scilicet de bove, ove, & columba; nam ut ait D. Thomas, capra annumeratur cum ove, sicut turtur cum columba. Quinque etiam erant libamina ad sacrificia, scilicet simila, oleum, vinum, sal, & thus, *Num. 15.* Et hæc etiam pretio vendebantur in templo; nam ex eo, quod ait Evangelista, quòd in templo vendebantur oves, boves, & columbæ, intelligitur, quòd ibi etiam vendebantur quæ erant convenientia ad sacrificia. Ita Beda, Abulensis in *cap. 21. Matth. quest. 66.*

Cum hæc omnia essent venalia in templo, tamen Evangelista tria apponit, bovem, ovem, & columbas: tum quia erant præcipua, & principalia, quæ ibi vendebantur, & sub his cætera intelliguntur. Notat Chrysoströmus *homil. 13. in Matth.* quòd Diabolus multis tentationibus Christum Dominum appetivit, & tamen superatis illis tribus ait D. Lucas *cap. 4. num. 13.* *Consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo*, ait Chrysoströmus? *Mibi quidem videtur, is, qui præcipua capita tentationum enumeravit, omnia dixisse, ut ea omnia pariter intelligas, quæ sub istis, quasi principalibus continentur.* Deinde cum hujusmodi venditio esset ob lucrum acquirendum, hæc erant majoris ponderis. Et fortasse qui hæc habebant ad emptionem, etiam ad alia vendebant, ut sæpè sæpius fit. Evangelista tamen facit mentionem de illis, quæ præcipua erant. Eminentis viri consilium est, ut subditi ad semitam justitiæ reducantur, majora vitia amputare; nam his resecatis facile minora evellentur. Ita enim ait D. Gregorius Nazianzenus *orat. 1.* *Etenim sublimi viro derisum est, res magnas non aggredi, nec virtutem ad multos propagare, sed in parvis consistere.* De Joseph ait sacer textus: *Accusavit fratres apud patrem crimine passimo* *Genes. 37. n. 2.* Multa erant in Jacob filii crimina, invidia, odium, ambitio, rixæ; & tamen Joseph pessimum solum crimen ad patrem defert. Optimum juvenis ingenium, agnoverat enim, quòd si majora vitia ablegarentur à fratribus, minora statim abirent. D. Bonaventura *serm. 6. Peccatum*, ait *contra naturam sceleratissimum est; & super omnia fugiendum, & de hoc accusavit Joseph fratres suos.*

QUESTIO V.

Quare in templo vendebantur oves, boves, & columbæ?

Germana hujus rei ratio patet ex expositione ad litteram, ubi ex communi Patrum sententia diximus, Sacerdotum ambitionem hujus rei causam fuisse. Nunc quantum rationem moralem apponamus, quam inculcat Beda. Notandum, ait, quòd vendebantur in templo oves, boves, & columbæ. Boves quippe terram exarant, & suscipiendis seminibus præparant. Quid ergo per boves, nisi doctrina celestis accipitur? Boves ergo vendunt, qui verbum Evangelii; non pro auditorum utilitate, nec causa amoris Christi, sed inimitu lucri temporalibus auditoribus impendunt.

Oves

18.

Beda.

18.

Iniqui Sacerdotes res sacras propter ambitionem vendunt.

Philip. 2.

August. D. Thom.

Alber. Mag. Bernard.

19. Matth. 4.

Ambitio generat divinum contemptum.

Euthym.

1. Reg. 8. Cajet.

Rupert.

Clem. Rom. Gios.

Oves simplicia, & mansueta animalia vestientis hominibus sua velleris præstant: & quid per oves nisi opera simplicitatis & innocentie significantur? Vendunt ergo oves, qui gratia humanae laudis opera agunt pietatis, de quibus dicitur: *Receperunt mercedem suam.* Quid verò per columbas, quæ felle carent, nisi Spiritus Si intelligitur, qui in specie columba super baptizatum Dominum ostensus est? Columbas igitur vendunt, qui Scrius S. donum per impositionem manus, vel ad præmium, vel ad vulgi favorem tribuunt? qui sacros Ordines, non pro vitia merito, sed pro gratia largiuntur. Numularij vero sunt hi qui in Ecclesia aperte terrenis rebus inserviunt, quæ sua sunt quarunt, non quæ Jesu Christi, ad Philip. 2. n. 21. Similiter D. August. *tract. 10. in Joan.* D. Thom. & alij. Sunt enim aliqui pravi Sacerdotes ita cupidi, & ambitiosi, ut lucri gratia vendant prædicationem, ac cælestem doctrinam, & opera pietatis, ac Spiritus sancti dona. Hos eleganter pungit Albert. Magn. hic ex D. Bernardo ad Eugenium: *Circuivit*, ait, *sedulas explorator blanditur, obsequitur manibus, & pedibus reptat, si quomodo valeat se ingerere in patrimonium Crucifixi: exhibet laborem, ut bos: simulat sancti aem, ut ovis: dona appendit pro columbis: & aliquando numulariorum exhibet marisupium.*

Semel, & iterum tentaverat Satanas Dominum, & tamen teritid ipsum aggreditur: *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Omnia tibi dabo si cadens adoraveris me* *Matth. 4. num. 9.* Sed quomodo superbissimus Dæmon Christi victorias non timet? Nonne in prima, & secunda tentatione se victum miserissime vider? Cur impudens ad tertiam accedit? Nonne Christum Dominum sacra Scriptura maxime armatum conspicit? dixi ei: *Non in solo pane vivit homo.* Et iterum: *Non tenabis Dominum Deum tuum?* Nonne ipsum jejonio, omnibusque pietatis operibus deditum contemplantur? Nonne ipsum magis Spiritus sancti donis repletum intuetur? Imò ipsemet divinus Spiritus in columbæ specie visibiliter super eum descendit, ut dixi *lib. 3. cap. 2.* Et ipse diabolus suspicatur, esse Deum, quomodo non timet ad eum accedere? Astutus diabolus bene noverat, quàm potens sit regnandi desiderium, ac proinde præsumpsit, ipsum ambitiosè ad se trahere, ut sacram doctrinam, pietatis opera atque Spiritus sancti dona, si esset possibile despiceret, ac parvi penderet: ut mundi gloriolam aspiceret.

Euthym. Frustratus secundo impetu inimicus ad tertium insuper preparatur? & per avaritiam, quam novissimè servabat, utpote periculosiorem deijcere conatur: & in montem dicit excelsum valde; dum Samuel regni clavem haberet, populus persuasione mala ab eo petiit Regem; cui ait Dominus: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1. *Reg. 8. n. 7.* seu ut legit Cajet. *Non te abominati sunt, quia me abominati sunt, ne regnem super eos.* Sed dum regem petunt, quomodo Deus te dicit abjectum cum licitum esset Israëlítico populo ex gente sua habere Regem, *Deuter. 17. n. 14.* Ut bene citat Rep. loco ponderat Rupertus: & regnante Rege ipsi in obsequio Dei se continere maxime poterant; Petiit hæc ex ambitione erat, ut advertit Clemens Romanus *lib. 1. recogn.* relatus in Glossa. Et

ubi ambitio apprehendit eos, statim Deus se dicit abjectum: est enim valde frequens ut hujusmodi vitium omnium divinarum rerum contemptum pariat. Cajet. *Non intendant abjicere Deum Regem, sed sub ipso habere Regem hominem; verumtamen ipsum factum excluderat ab ipsis Israëlitis ratione regni relative ad Deum; ut regem.*

Ioannis 2. n. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit.

Syracus. Fecitque sibi flagellum de fune, ac omnes ejecit de templo, & oves, & boves, & trapezitas, & effudit numos eorum, mensasque subvertit.

VERSIONES.

D. Augustinus Et cum fecisset quasi flagellum de resticulis, &c. D. Ambros. in Flagellum de restibus; cap. 1.9. Luc. &c. prope finem.

D. Cyrill. Alex. Flagellum quasi de funibus, lib. 1. c. 28.

Arias. Et faciens flagellum ex funiculis, &c. numulariorum effudit monetam.

Barradas ex Græco. Omnes ejecit de templo, pecoræque, & boves, &c.

Vatablus. Oves simul, ac boves, & mensariorum æs effudit.

Pagninus. Omnes ejecit in templo; &c.

EXPOSITIO.

CHRISTUS Dominus justitiam cum misericordia conjungit, indigentibus in nutu benignè subvenit; peccantes autem hic rigidè corripit. Cum percisset flagellum. Apud Lyranum sunt, qui dicant, Christus cingulo pro funiculo usum fuisse, eoque in modum flagelli complicato ejecisse vendentes. Sed hæc opinio non placet quia Christus dominus communi veste, ac cingulo utebatur; ac proinde probabilis est, quòd ex chordis complicatis, quibus animalia alligata erant, flagellum confecit quo omnes de templo expulit. Et dicitur: *Cum fecisset quasi flagellum.* Nota illam particulam, quasi; aliquantulum innuere non fuisse proprie flagellum, quia cum Deus in hac vita temporaliter punit, non

20. Benignitas cum justitia.

Lyran.

non

Deus in hac  
vita leviter  
punit.

Cajetan.  
Janfen.  
Euthym.  
Chrysoft.  
Cyrill.  
Anaclet  
Pius I.  
Iulius

Albert. Mag.  
In Deo non  
est acceptio  
personarum.

Isai. 22.

non tam poenas infert, quam potius beneficia confert, ut homo per contritionem in se reversus, Dei misericordiam assequatur. Omnes ejecit? Cajetan, Janfenius, & Euthymius tenent, non homines, sed animalia foisse ejecta. Tamen & homines, & animalia Dominum abegisse, communis est sententia Patrum, D. Chrylostomi homil. 22. D. Cyrilli lib. 2. cap. 28. Anacleti epist. 2. ad Episcopos. Italia. Pij. I. epist. 1. Julij epist. ad Orientales Episcopos. Et aperte colligitur ex textu: *Invenit in templo vendentes oves, & boves, & columbas, & cum fecisset flagellum, omnes ejecit de templo: oves quoque & boves. Ergo omnes à Domino sunt expulsi. Et: ut notat Albertus Magnus ejecit omnes, nullum excipiendo; sine personarum acceptio. In suppliciis inferendis æquitas maxime relucet. Et non solum homines, verum & animalia ejecit, ut omnem amputaret occasionem peccandi. De templo, quod proprius erat Sacerdotum locus, à quo ob peccata sua sunt exclusi: Expellam te statione tua, & de ministerio tuo deponam te, Isai. 22. n. 19.*

QUESTIO VI.

Quare Dominus ejecit e templo vendentes?

21. Difficultas  
quæstionis.

Deuter. 14.

**D**ifficultas quæstionis oritur ex Deuter. 14. num. 24. ubi præcipiebatur, ut omnis Israël decimam partem frumenti, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ovibus offerret Domino, & statim subditur: *Cum autem longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibi que benedixerit. nec poteris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque in manu tua, & proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus. Cum autem locus, quem Dominus elegit, esset templum, depravatis videbatur hujusmodi emptio, & venditio in eo licita.*

22. Zelus Domini  
Dei.

Psal. 15.

August.  
Chrysoft.  
Alcuin.  
D. Thom.  
Bonavent.

Meritissimè tamen Dominus eos eiecit de templo. Et primò (quæ est germana ratio) stimulabatur Dominus zelo domus Dei ob templi reverentiam, quia videbat ipsum æstimari, ac si esset prophanum negotiationis forum, & ideo Christus Dominus eos ejecit. *Domine dilexi decorem domus tue, Psal. 15. num. 8. Hæc ratio expresse deducitur ex textu infra, dum dicitur: Recordati sunt discipuli, quia scriptum est: Zelus domus tue comedit me. Et hanc tradant Divus Augustinus, D. Chrylostomus, Alcuinus, D. Thomas, D. Bonaventura, & alij. Nec locus Deuteronomij facit difficultatem, quia dum dicitur, quòd illa emerent in loco, quem elegerat Dominus, intelligitur, non de templo, sed de civitate, in qua erat templum. Demum alias hujus rei rationes.*

23. Abulens.  
Rex suos in-  
ducit ad bo-  
num.

Secundò responderet Abulens, in cap. 21. Matth. quæst. 1. Quia cum Christus Dominus esset verus Messias, Rex ac Dominus, erat legis executor, ac proinde debebat homines ad bonum inducere, & aliquando cogere secundum rerum qualitatem, & quia Judæi legem Dei spontè non observabant, sed Deo offensam inferebant, convenienter Christus hanc offensam debuit repel-

lere, peccataque ne fierent impedire, & facta corrigere. In tribus autem istis peccabant, ut ait Abulens citatus. Primo ratione loci, domus enim Dei non erat ad negotiationes, has ibi fieri non licebat, & ex loco illicitæ fiebant. Et hoc expressit Christus: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Secundo peccabant ex injusto pretio, ac desiderio, lucra enim superabundantia captabant; munera namque accipiebantur pro mutatione, ac ratione loci res carius vendebantur. Tertio peccabant, quia aliis occasionem peccandi dabant, dum negotiationes in templo fiebant. Et ideo dixit Christus Dominus Matth. 21. num. 13. Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et agebatur criminis culpa, dum sub specie pietatis fiebat iniquitas.*

Tertio, Cælius lib. 2. cap. 17. Proinde, ait, in templo numulariorum subvertuntur mensæ, dum significatur in Dei templo spirituales tantum nummos esse debere, qui Deum præferant, non Diabolum. Christus Dominus magna accensus ira vendentes propulsavit à templo, numulariorum mensas diffudit, atque projecit. Sed quid erat in ipsis monetis ob quod Christus Dominus in eas tam rigidè ferebatur? In nummis inspicitur, non Dei sed diaboli depictam imaginem, dum hujusmodi moneta, non ad Dei obsequium, sed ad diaboli destinabatur servitium, & ideo nummos tanquam adulterinos projecit, & excludit à templo. Quarto D. Cyprianus serm. 2. de Baptismo, *Suave, ait, est mihi eloquium tuum, à vilibus pretiosa distinguens, quasi flagello de funiculis contexto, de meo interiori templo, quod tu inhabitas, omnem mundaniorum expellit, nec patitur in atrijs tuis mercimonia columbarum, sed à sanctuario gratia tua omnem venalitatem excludit. Templum domus est ad Dei obsequium destinata, hi verò negotiatores iniqui, dum ibi mercaturam faciabant lucro maxime atque avaritiæ inferviebant. Optime ergo eos à templo Christus projecit, ut Deus ibi consistat, in una enim, eademque sede Deus, & avaritia commorari non possunt; valde namque consequens est, ut si avaritia ingrediatur, Deus discedat: & si Deus regnat, avaritia projiciatur. Quintò D. Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 4. Christus, ait, de templo ejiciebat numularios, quia ipse volebat intrare. Cum Christus templum ingrederetur, statim totus est in his peccatoribus ejiciendis, quia Deus, & peccatum simul esse non valent. Ne ergo impedimentum daretur ad Dei ingressum in templum; ab eo profligatur, expelliturque peccator. Vide hoc libro c. 3. num. 34.*

Sexto, Dominus ingrediens templum, statim ab eo vendentes ejecit, ut nos doceret, quod Prælatus totus sit interus ad emendandos abusos ac à domo Dei eradicandos. Septimo Sacerdos populi est magister, & doctor, ut ponderat Gregorius Magnus 2. part. pastor. cap. 3. & ita dicebat Deus Matth. 2. num. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Cum ergo populus videret, Sacerdotes permittere, templum mercaturæ, ac illicitis lacris violari ne forte perniciosus error surreperet, ut populus sibi persuaderet, id licitum esse, imò & pietatis opus, ideo Dominus ita accensus punit eos, à temploque abire compellit. Et ideo dicebat Christus Dominus*

Triblicitas  
peccabant  
vendentes.

Matth. 12.

24. Cælius.

In templo,  
non mundi,  
sed Dei ag-  
itur negotia.

Cyprian.

Deus, &  
avaritia in  
una sede non  
sunt.

Ambros.  
Deus ad-  
veniens, ex-  
clude pecca-  
tum.

25. Abulens  
dicant.

Greg. mag.

Magna in  
Prælato soli-  
citudine, ne er-  
ror innotu-  
cat.

Matth. 23.

26. Cyrill.

Qui honorat  
Deum, exal-  
tatur, qui  
vero con-  
temnit de-  
primitur.

1. Reg. 2.

Benignitas  
voluntas,  
Judæi affi-  
ciuntur inju-  
ria.

27. In Principe  
benignitas,  
& rigor, pro-  
ut occasio  
postulat.  
Zachar. 9.

Septuag.

Hieron.

Rupert.

Psal. 19.

28. Deuter. 33.

Septuag.  
Pagnin.

Dominus de his Sacerdotibus. *Quicumque dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera eorum nolite facere, Matth. 23. num. 3.*

Octavo Divus Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 29. *Prospice, quæso, alius, inquit, quomodo futurus rerum habitus duobus his proximus Christi actibus, designatur: à Galilæis enim, qui Canam habitabant; invitatus ad nuptias, atque honoratus, & miraculo profuit, & vini lacrima replevit, ac in eadem cum eis mensa, & convivio fuit sibi ab initio statim doctrina sua pe Galilæos universa gentes fidem Christi susceptura monstrabantur, quæ per fidem in celestem thalamum perventura: incredulos verò Judæos à Sanctorum conversatione retinet, ac suppliciiis peccatorum suorum carnis devinctos trahet; nullo modo iniquè falsis sacrificiis placatus. Auferte namque ista hinc. Qualis homo Deo, talis Deus hominiamoris, ac venerationis ergo Jesus vocatur à Sacerdotibus turpi lucro deditis: ideo in Cana; multa miracula, signaque magnificentie erga convivantes ostendit; in templo autem flagello, asperitque erga ibi commorantes verbes totum severum se exhibet. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnant me erunt ignobiles. 1. Regum 2. num. 30. Vide lib. 2. cap. 4. num. 138. Deinde in convivantibus in Cana Galilææ representabatur Gentilitas, quæ Christum honorificè receptura erat: in Sacerdotibus templi designabantur perfidi Judæi nolentes Christum recipere. Ideo illi multis condecorati beneficiis exaltantur; hi verò flagello caduntur; ignominiaque & opprobriis afficiuntur.*

Nono Christus Dominus in Cana benignè subvenit indigentibus, hic verò asperè castigat Sacerdotes templum prophanantes. Suam Dominus ostendit potentiam, prout exigebat occasio, cum piis hominibus benevolè agit; cum peccatoribus autem rigidè se ostendit. *Ecce rex tuus venit justus, & salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asine, & disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum ac Jerusalem, & dissipabim arcus belli, Zachar. 9. num. 9. Sed quomodo Propheta hæc inter se connectit, quod Dominus venit salvator, seu salvans, ut legunt Septuaginta, & quod disperdet quadrigam Ephraim? Si Salvator, quomodo disperdet? Per Ephraim intelligitur Divus Hieronymus multitudinem hæreticorum. Venit Dominus salvans, & disperdens: salvans fideles, & humiles; dissipans verò, & destruens hæreticos; & depravatos. Rupertus lib. 3. in Zachariam. *Dispergam, inquit, superbiam, & vanitatem hujus sæculi unde descendentes humiles ad hunc Regem Christum conversi dicunt aliis in eadem superbia perseverantibus: Hi in curribus, & hi in equis; nos autem nomen Domini nostri invocabimus, Psal. 19. Et simul Ephraim, & Jerusalem percutit.**

Cum Moyses jam moriturus benediceret filios Israël, ait ad Tribum Joseph: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terra. Deuter. 33. n. 17. pro rhinocero legunt, unicornium, Sepuaginta, Pagninus, & alij. Describit S. Propheta Christum Dominum, ut est communis expositio, & ait, quod in pulchritudine formam vituli referat, & statim cornua Sylicira in Evang. Tom. 11.*

ejus assimilat cum rhinocero, ac unicornio. Rhinoceros, quamvis sit armatus à natura, cornu tamen neminem offendit, ut testantur Marcus Polus lib. 2. historia sua. cap. 43. & Lorinus in Psal. 21. vers. 22. Unicornium verò cornua habet, quæ maxime sunt in antidotum adversus venenata. Sed quomodo de ipsis ait Propheta; Quòd Christus Dominus in eis ventilabit; seu, ut habet Chaldaicus *Occidet gentes?* Si ejus cornua sunt medicinalia, qualia unicornij, & ferire, aut lædere nescia, qualia rhinocerotis, quomodo in ipsis ventilabit gentes. Intellige mysterium, Christi potestas piis, & fidelibus suaviter, & salutaris; impiis vero, & rebellibus maxime rigida, ut eos dispergat, ac occidat. Tertullianus lib. 1. adversus Judæos: *Rhinoceros, & taurus ob utramque dispositionem, aliis ferus, ut judex; aliis mansuetus, ut salvator, cum cornua ejus essent crucis extrema.*

Marc. Polus,  
Lorin.

Tertull.

QUESTIO VII.

Quare hic non fiat expressa mentio de ementibus cum Matt. 21. vendentes, & ementes commemorantur?

**A**It in præsentis textu noster Evangelista; *Inveni in templo vendentes, & numularios sedentes, & omnes ejecit de templo tamen Matt. 21. num. 12. dicitur: Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo. Quæstio ergo est, cur hic expellit vendentes solum illic vero vendentes, & ementes? Utroque fuisse ejectos in hoc textu Joannis; existimat Origenes tom. 10. in 7. an. & si Evangelista tantum commemorat vendentes, Matthæus omnes declarat; & ita sæpe unus Evangelista lubricet, quod alius exprimit. Hæc ratio vera consisteret, si esset una, & eadem historia, sed duas fuisse ejectiones, jam supra solvi quæst. 3.*

Mhi tamen videtur dicendum, in hac primâ ejectione, quam scribit Joannes, solos vendentes fuisse ejectos. Hæc sententia etiam placet Abulensi in c. 21. Matth. q. 73. Et probatur primo, quia peccatum vendentium ex multiplici circumstantia gravissimum erat, ut dixi superiori quæst. in 2. ratione. Deinde ipsi vendentes, cum essent Sacerdotes, legem scire tenebantur; proindeque agnoscere, prohibitam esse hujusmodi venditionem in templo, quod ignorabat rudis ementium populi turba: at in secunda ejectione omnibus notum erat, hujusmodi in templo mercaturam à Christo esse prohibitam, atque damnatam; & ideo vendentes, & ementes nullam excusationem habebant: in hac autem prima etiam si mandati Dei scientia in Sacerdotibus præsupponeretur, in populo tamen ignorantia prælumbatur. Describitur in Levitico modus offerendi sacrificia pro populo, ac Sacerdote peccante, & cum de quolibet populari agitur. *Anima cum peccaverit per ignorantiam, Levit. 4. num. 2. & iterum: Si omnis turba Israël ignoravit, & per imperitiam fecerit, ibid. num. 13. At de delinquente Sacerdote ignorantia omnino suppressitur: Si Sacerdos, qui vincit, est peccaverit; delinquere faciens populum; offeret pro peccato*